










1675.

33 12

1675 10

**GODOFREDUS Strauß/**  
**PHIL. ET J. U. D. INSTITUT.**  
**PROF. PUBL. CURIÆ ELECTOR.**  
**SCABINATUS ET FACUL-**  
**TATIS JURIDICÆ**  
**ASSESSOR,**

*LECTURIS SALUTEM PLURIMAM*  
*DICIT!*



*WITTENBERGÆ,*  
 Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.





GODOLFREDUS  
PHIL. ET J. U. D. INSTITUT.  
PROF. PUBL. CURIAE ELECTOR.  
SCABINATUS ET FACUL.  
TATIS IURIDICAE  
ASSESSOR.

LECTURUS SINGULORUM  
PACIS

PROF. PUBL. CURIAE ELECTOR.  
SCABINATUS ET FACUL.  
TATIS IURIDICAE







## JESU JUVA!

**N**on æquè dari librum, in quem tot Commentarii, tot & tam variæ Virorum Clarissimorum meditationes extent, quàm Institutiones Juris, nemo, vel leviter saltem in hoc studio versatus, facile diffitebitur. Ut enim veterum scripta omittam, omnium prope modum gentium (nam & plerisque Jus nostrum Civile probatum receptumque videmus, vid. Petr. Heigium ad §. 1. & 2. Proœm. Inst. n. 19.) Jcti aliquid operæ, sive ad intellectum, sive uberiorem explicationem Institutionum Justitiæ eximiè contulerunt, adeò, ut quod Sacratissimus Imp. in Præf. de confirm. Digestor. ad Senat. & omnes populos §. 21. de non scribendis legum interpretationibus annexuit interdictum, ad Instituta nostra non incongruè extendendum esse videatur. Interim, si quis intentius paulò scriptiones istas vel recentiorum saltem Jctorum perlustret, pro ingeniorum modo, pro scopi, ad quem collimaverunt Auctores, diversitate, diversos etiam progenitos animorum foetus fuisse, oppidò animadvertet. Quidam enim in prolixos sese effuderunt Commentarios, quos inter Johannem Harprechtum, Professorem olim Tubingensem, Casparum Manzium, Professorem Ingolstadiensem, & Antonium Pichardum, Jctum Hispanum, & apud Salmanticenses Cæsarei Juris Interpretem primarium, potissimum (nam quis recensere omnes?) nominare habeo. Quorum ille quatuor tomis singulos Institutionum paragraphos explicat, controversias cum ex ipso textu, (cujus verba adjecit, reliqui duo amiserunt) tum occasione ejusdem subortas exputat, multa ex Jure publ. Politicis aliisque Disciplinis admiscet, contrariis plerumque adductis & discussis:



cusis: iste singulorum in paragraphis versiculorum rationes reddidit, eosq; ut plurimum in Regulas aut quaestiones resolvit: nam & ipse hanc sibi methodi legem statuit:

Nil alii sine legē volunt, & nil sine textu,  
Sed sine legali nos ratione nihil.

Hic non constante interpretandi ratione servatā, modò junxit plures Tituli paragraphos, uti in Tit. de Nupt. de Curat. de Excusat. Tut. de Rer. div. & acq̄. earum dom. &c. eosq; definitionibus, divisionibus nec non rationibus & aliis textibus dilucidavit: modò falsissimè materiam unam vel alteram retexit, legibus insimul Pandectarum in eum finem adscitis & resolutis, quemadmodum evolventi commentationem ipsius ad Rubr. de Adopt. item ad pr. Quibus non est permitt. fac. testam. pr. de pup. Substit. §. 1. & 2. quib. mod. test. infirm. pr. de inoffic. Testam. §. Sed si eadem res 9. de legat. &c. colligere datur; præprimis verò tractationi de Actionibus totum totum secundum destinavit, & sæpè mores Patrios attexuit. Atqvi & Imperatoris ordinem migrare sustinuit Pichardus, integris libris & Titulis Hortomannum secutus, sede suā dimotis. Alii contrariam planè rationem scribendi ad Instituta iniverunt, succinctam & concisorem nempe. Cerne Johannem à Borcholten, qvi Theophili plerumqve vestigiis insistens, breviter antiquitatis simul momentis erutis, textum politè enucleavit: cerne Matthæum Wesembecium, Interpretem quondam Juris dexterrimum, qvi singula ferè textus verba explicando decucurrit: Cerne Julium Pacium, qvi per analysin textu resoluta singulos titulos axiomatum quasi agmine quodam clausit. Ampliorem paululum paraphrasin eamq; interlinearem, rationibus subinde interfertis dedit Paulus Fuchsius, in Academia Duisburg. Professor Publ. Quod brevitatis studium tam mirificè delectavit Joh. Crispinum, Hugonem Grotium & Arnoldum Vinium, ut Institutionum textum notulis & floribus suis strictim illustrarent: Borcholten, Pacium & Fuchsiū verò eò deduxit, ut tabellas insimul modò seriei integræ, modò particulae cujusdam annecterent & ingererent, memoriae Juvenum, sæpè fallaci, hanc ratio-



ratione subventuri : Jacobum Cujacium, celeberrimum illum  
 Jurisconsultum, eò denique seduxit, ut libello Institutionum neque com-  
 ptiorem quidem, neque faciliorem, quivè interpretem desideret  
 minus, sed tamen illorum ignobile otium, quivè ipsum longissimis  
 onerassent Commentariis, existimaret. Unde Lib. XI. Cap. 83. ita  
 pergit Consultissimus Vir: *Quæ me ratio potissimum impulit olim,  
 ut corrigendo Institutionum contextui, qui habet locis plerisque, potius,  
 quam interpretando, operam darem. Et, si quid tamen nostræ ope-  
 ræ præter correctionem paululum accessit, id sanè invito extorsit su-  
 periorum Commentariorum inscitia, quos nonnunquam verarum re-  
 rum observantiâ meliore non potuimus, non adnotare tacite &c.*  
 Inter hæc alii per Erotemata distinxere & proposuerunt Institu-  
 ta, è quibus Arnoldus Corvinus & Antonius Perezus hodiè emi-  
 nent, collegiis examinatoriis quàm aptissimi: iterum alii prin-  
 cipaliores ex iis controversias ventilârunt, quod Erasmus Un-  
 gepauerus in suis Exercitiis Justinianeis, & Georgius Franzk. in  
 Exercitat. ad Inst. nobiliter præstiterunt. Ab his non adeò ab-  
 horrent, qui secum perpendiculariter per velitationum usum & inge-  
 nia excitati, & firmari memoriam, cum, dicente Plinio 8. Epist. 14.  
 difficile sit tenere, quæ acceperis, nisi exerceas, Disputationes ad  
 Instituta concinnârunt: nisi quod illi pauciores controversias  
 majori apparatu: hi plures brevius, & præter has quidam simul  
 alia dogmata, percenseant, & thesibus suis exhibeant. In exem-  
 plum hæc producere placet primum Bernhardum Scotanum in  
 Disputationibus anniversariis ad 4. Institut. libros, qui singulos  
 titulos in theses conjicit, iisque illiò dubia, quæ obverti poterant,  
 subjungit, eademque, ut tyronibus disputandi ansam præbeat ma-  
 jorem, nullibi diluit: deinde Wilhelmum Ludwelum, qui in ac-  
 curatis Exercitationibus suis, principia Justinianeæ thesibus per-  
 spicuis complexus, eorundem Expositionem subindè subtexit.  
 Tum verò quæstiones penè multas insimul movet, iisque breviter  
 per textus, & rationes, sapissimè etiam decisit, ad probatos se Au-  
 tores remittit, & Jus morum in genere quandoque tangit: Excel-  
 lentis, porrò J. C. Johann. Ottonem Taborem, qui simili metho-  
 do, sed succinctiori adhuc & comptiori, in partitionibus Elemen-  
 tariis inhæret: Johannem Jacobum Wissenbachium denique



Franekeræ Pandect. Professor. famigeratissimum, in hoc scriben-  
di genere mihi noto, qui in Disputationibus suis ad Instit. defini-  
tionibus divisionibusq; quandoq; exhibitis theses non vulgares  
sanè ponit, textibus Juris stipat, contrarios adductos mox disertè  
diluit, mox ad alios bonæ notæ Autores eo nomine provocat.  
Alii deniq; mediam quasi viam ingressi, à prolixissimâ quidem  
commentandi ratione se abstinerunt; cæteroquin, quod ex re-  
liquis multi separatim tradidère, uti hætenus recensuimus, præ-  
missis ubiq; Titulorum Connexionibus, conjungere, textum  
Institutionum & Terminos, hæc atq; illinc occurrentes, inter-  
pretati, definitionibus & divisionibus insimul allatis & exami-  
natis. Et enim ne controversendi occasio desit, quæstiones no-  
biliore ventilarunt ac artificiosè composuère. Sed verò ex his  
iterum nonnulli, levi ac simplici via progressi, enucleatè animi  
sensa expresserunt, ut interprete alio vix indigeant. In quo-  
rum numero sunt Hubertus Giphanius J.Ctus, in quibusdam Aca-  
demiis Professor Juris publicus, & deinceps Rudolphi II. Imper.  
Sacratiss. Consiliarius, Conradus Rittershusius, Antecessor A-  
cademiæ Althorph. & Georgius Franzk, quorum ille perspicua  
tractatione & solidis Juris ac differentiarum rationibus: iste S.  
Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, Historicorum, Poeta-  
rum, Oratorum, aliorumq; classicorum dictis allatis: hic  
eleganti dispositione & accuratissimis definitionibus suos exor-  
narunt Commentarios. Atq; hinc, cum quilibet ex iis quid  
præcipui sibi habeat, vellicare lectorem, & contendere invicem  
de palma haud frustra videntur. Huc etiam referrem Petri  
Heigii J.Cti Saxon. Commentarium locupletissimum & nitidis-  
simum, qui eo nomine reliquis præstitisse videri poterat, quòd  
sæpè in Politica & Juris publ. hodierni adyta digrediatur, uti ex  
ejus instituto ad §. 1. & 2. Proœm. Instit. n. 18. pr. §. 3. & 4. de J. &  
J. ad Rubr. §. 1. 2. 3. 6. de J. N. G. & C. pr. de J. P. §. fin. Inst. de his  
qui sui l. alien. Jur. sunt §. fin. Inst. de Curat. §. item si Romæ de  
Excus. Tut. it. ad tit. de R. D. ad Rubr. Quibus al. lic. l. non ad  
tit. per quas pers. cuiq; acquir. §. si generaliter de legat. ad Tit.  
de hered. quæ ab intest. de Bonorum Poss. tit. de Divis. Stip. §. alte-  
ri de inutil. stipulat. §. servis seqq. de Injur. §. publica seq. de  
publ.



publ. Jud. colligere est. Frequentius verò ubiq; Jus Saxon.  
idem attexit, tum quoq; Tribonianum ad §. 3. Procem. Inst. de-  
fendit. Nonnulli verò ita circa Institutiones Imperatoris in-  
dustriam suam exseruerunt, ut non tantum easdem exposue-  
rint; sed etiam in plurimis Imperatorem in Triboniano corre-  
xerint, subobscuri interdum etiam visi, indeq; digni, uti ab a-  
liis vel refutentur vel ritè declarentur: In quorum classe Fran-  
ciscum Hottomannum, Hermannum Voltejum, & præprimis  
Reinhardum Bachovium collocare non dubito. Unde id ani-  
madvertentes Ludwelus & Vinnius in Commentariis suis ad  
Inst. operam dederunt, ut & Imperator defenderetur & obscuritas  
potissimum dilueretur. Prius expedivit masculè Ludwelus,  
qui in Commentario suo ad Institutionibus monuit,  
increpavit & refutavit eos, qui Triboniani memoriæ  
sine causa malè parentaverunt; nec non obstantes alias textui  
Leges disjecit: alterum Vinnius Bachovium Doctorem suum in  
plerisq; secutus, iis, quæ ab isto paululum obscuriora scripta vi-  
debantur, eleganti & facili stylo redditis & comprobatis. Nam  
& hic Tribonianum non semel castigavit: unde ad pr. Inst. Quib.  
mod. Tut. fin. n. 2. testimonium ejus suspectum pronunciat; ad  
§. 13. Inst. de Excus. Tut. &c. duplicis eundem erroris in explica-  
tione veteris Juris commissi incusat, allegatis de cætero passim  
Hollandorum morib; . Inter hos eundem penè gradum meretur  
Paulus Voët, Juris in Academ. Ultraject. Prof. Publ. cujus com-  
mentandi ad Instituta methodus hæc esse videtur, ut præmissis  
principiis, quæstionibusq; insimul formatis ac resolutis, Leges  
Divinas, Jura Canonica & variarum Gentium; potissimum verò  
Saxonie, Gall. & Belg., cum latis multis Autoribus, mores &  
observantiam cum nomothesi Justinianea comparet, & quid  
conveniat, quid differat ab iis, demonstret. Ad cujusmodi com-  
mentandi rationem respexisse videtur Magnus Ordinarius  
noster Dn. Zieglerus, Cetus consummatissimus, quando Præfat.  
ad Lectorem in accuratissimis suis Notis ad Hugonem Grotium  
hæc sibi notat: *Quocirca ille demum veram, non simulatam, philo-  
sophiam affectare mihi videtur, qui Civile Jus ad altiora & superio-  
ra principia revocat, & in illis verum justitiae & æqui fundamentum  
inquirit.* Antequam ab hoc Articulo divellat, illi adhuc mihi  
comme-



commemorandi sunt Institutionum Juris Commentatores, qui easdem ad Forum & practicū usum transferre unice laborarunt. Sed nechi unam ivere & calcarunt viam. Nam Simon à Groenewegen, qui de LL. abrogatis scripsit, uti in reliquis Juris partibus: ita & ad Instituta nimium facilis in sequestrandis paragraphis ab usu forensi fuisse, non ineptè videri poterat. In nostris Judiciis suspicitur non immeritò Johannis Schneidewini Jcti Saxon. opus ad Instit. locupletissimum, multis Practicorum quæstionibus, Regulis, rationibus, ampliationibus, Exceptionibus & Limitationibus, formulis & Cautelis refertissimum. Cùm verò id ex sua quodammodo mole laborare, & Practico magis quam studioso, inservire censeretur, en! Georgius Schulz, Jctus & Amplis. Colleg. nostr. olim Assessor, Synopsis quandam Institutionum edidit & præmissis præceptis, quid singulis in partibus Jura nostra & mores statuunt, curatius annotavit. Nec tamen hic substitit Jctorum industria, sed quò tyrones Juris hodierni etiam prægustum quendam haberent, Vir Consultissimus Dn. Joh. Ernestus Noricus, Jctus & Consiliar. Saxon. gravissimus, succinctas quasdam notulas Arnoldi Vinnii, Editioni, quam supra memoravimus, subinde adpersit. Paucos hactenus ego Jctos, eosque recentiores, saltem in scenam quasi protraxi, qui ad Institutiones aliquid consignarunt, longè plures inqvirenti se dare ad manus, præprimis si vetustiores arcessere quis amet, non ignoro, & fassus in limine sum. Sed omnes vel plerosque tamen recensere, nec instituti ratio mei, nec pagellarum angustia, intra quam me coarctatum sentio, permittit: Nihilominus, si quis in Jurisprudentiæ modò circulos delatus vel enumeratos saltem à Nobis Autores intueatur, varietas illorum, & ferè multitudo, vel deterrebit eum abinde statim, vel illam aggressum tædio tanti laboris ad sui ignaviam perducet. Quis enim omnes illos Commentarios perlegere, quis familiares reddere sibi abunde poterit? Accedit, quod viva non amplius vox desiderari in Institutionibus Juris in culcandis hodiè videatur, postquam tot tamque innumera ferè ac vasta in easdem prodierunt volumina. At verò benè se res habet, si, tempera-

men-



mento adhibito, hæc non statim, nec omnibus legenda, aut æquè imprimenda omnia advertamus. Sicut ciborum delictu ad sanitatem opus est; ita ad veram Juris Eruditionem parandam necesse est servare ordinem. Non temerè cuiquam autor essem, ut Jurisprudentiæ operam daturus in prolixissimos statim Commentarios ruat. Ita equidem, ut Imperator Sacratissimus ad §. 2. Inst. de J. & J. præclarè perhibet, aut desertor is studiorum evadet, aut seriùs ad id perducetur, ad quod leviori ducto viâ, sine magno labore maturiq; pervenire potuisset. Alia incipientibus apta sunt, alia Veteranis, & qui profectus aliquos habent. Sunt, quæ ornant & decent quidem; sed aut differenda in aliud tempus, aut prætereunda penitùs veniunt. Non frustra ergò fuerit legitimæ scientiæ sese dediturus, indeq; ad Instituta conversus, si ante omnia eò contendat, ut textum ac occurrentes passim terminos probè intelligat. Quâ fini prima vice sive Borcholten, sive Pacium in Analyti, sibi familiarem reddat. Nec dissvaderem ipsi, si Tit. ff. de V. S. & ad eundem sive Alciati sive Gœddæi vel comptissimum Wissenbachii Commentarium jungat. Quibus superatis alium sibi ad Instituta Commentatorem utpote Giphanium, Rittershusium, Ludwelum dispiciat, vel si ingenii vires ferant, Vinnium assumat, eumq; reddat familiarissimum sibi. Inter hæc ad Disputandi exercitia se applicans, si ipse argumenta ex textibus, quos familiaris ipsi Autor citavit, invenire non valeat, sive Scotanum, sive Wissenbachium in Disputationibus adeat, & vix deerit opponendi materies. Repetitioni verò pleniori interviet Ludwelus in Dissertation. ad Institut. memoriæ verò in suis Erotematibus Corvinus & Perezius: quamvis meis svasor sim, ut in hoc articulo retineant Ludweli Dissertationes, ejusq; indicem per quæstiones informatum, vel textibus vel rationibus ex ipso Autore suppleant, easq; adscribant, ac istud Compendium septimanis singulis studiosè perlegere non prætermittant. Quò fiet, ut eundem Autorem secuti, hauriant principia optimè, & principaliores Juris textus memoriæ infigant. Multum etiam hic tabellis tribuunt haud pauci, nec eas quidem

B

dem



dem ego improbo ; id verò addo, ingenia hic probè esse exploranda : experienciã siquidem didici , quod in iis momentum penè omne ponentes, ubi ex abrupto respondere debuerint , hæsitaverint quandoq; & prius spatium quasi aliquod tabellam suam ruminandi sibi sumpserint. Taceo controversias in iisdem ex brevitatis studio planè omitti , vel levisimè tangi. Inquis, quid ergò profunt reliqui fulsissimi Commentarii ? Non equidem erunt inutiles. Quod si enim vel adultior in legitimæ scientiæ studio, vel is, qui aliis jam Jura profitetur , aliquod ex Institutionibus dubium animo concipiat, consequitur hic amplissimum campum , in quo, quod desiderat, quærat & decerpit. Atq; non utilitatem tantum ; sed jucunditatem etiam spirat prudentia nostra. Ex varietate ergò Commentatorum mirificè quis delectabitur, si principiis prius jactis, illos perlegens , quam variè ingenia ipsi exercuerint, deprehendat. Ut verò continuâ serie Commentarios hosce pervadat, non putarem æquè consultum. Qui enim latiora scientiæ nostræ spatia expetit, ea in Digestorum Voluminibus melius reperit. Nam , quod Cicero alibi tradit, & hic potius quis à fontibus haurire, quam rivos consecrari debet. De cætero in eligendis Autoribus Juvenum ingenia sedulò expendenda esse, adhuc moneo. Id quod æstimabit prudens Doctor ductorq; consultus. Ut hinc ex facili intelligant Juvenes, quam periculosum sit, si sui tenaces arbitrii neminem præeuntem sequantur ; sed sibi inaniter blandiantur, ac in Themidos arcem propriis viribus venire se posse, existiment. Est quidem magna humani ingenii divinitas ; sed tamen nemo à natura, quod præclare Aristoteles monet, existit sapiens, adeoq; nec Iurisperitus. Qui in aliquem locum cogitat, viæ ignarus ducem sibi eligit, ne vagetur ac digrediatur. Prorsus in Juris studio ita comparatum est : qui enim prudentia in iis rectè progrediendi destituitur, sua involvit studia potius , quam ut feliciter expediat atq; absolvat, etiam si quam plurimos eosqve elegantissimos ad manus habeat Comentariorum. Nam si selectum habere nesciat, multitudo,




titudo ipsi nocebit. Anfractus & diverticula efficiunt, ut quo  
primò vertat gradum, dijudicare idem nequeat. Puerò pro-  
pèmodum similis; qui viribus nondum satis firmatis ab se &  
sine manu ductore incedere conatur, quem pessimè sapiùs il-  
lidi solo videas, & dare stultæ ac inconsideratæ fiducia pœ-  
nas. Sicut enim aliàs in turpissimos se induit errores, qui  
sibimet ipsi magister pariter & discipulus est: ita, qui in juris  
studio inani quâdam doctrinæ persuasione dementatus, ipse-  
met sibi omnia esse confidit, aliorum operâ planè neglectâ, ea  
addiscet, quæ certè in publicum nihil, aut parum utilitatis præ-  
stare possunt. Illud ergò obstinatum sedet & fixum manet, præ-  
stare vivam vocem propriæ juvenum lectioni. Nam & sapientiss.  
Seneca, immorari, inquit, & innutriri certis ingenis oportet, si  
velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nun-  
quam demum illorum probare sententiam poterò, qui studio-  
sos Juvenes vel ab initio statim ad Digestorum opera dedu-  
cunt, vel tamen cum Cujacio Institutiones Juris per se satis  
perspicuas esse, ac intelligi posse, sibi persuasum habent. Nam  
sicuti, qui in alta eniti vult, per gradus ascendit; ita Institutio-  
nes Juris meritò primo quisque loco appetit ac comprehendit.  
Quis enim in ædificio & ingredi simul per limen domus & in  
summo conspici poterit? Nec Cujacii opinio feliciter succe-  
det, uti accuratè in Epistolâ, Analyti suæ præmissa, demonstra-  
vit Pacius. Quæ omnia præfari & volui & debui, postquam

*Serenissimus ac Potentissimus ArchiPrinceps  
ac Dominus, Dominus JOHANNES  
GEORGIUS II. Saxonie, Julie, Clivie  
& Montium Dux, Sacri Romani Imperii  
Archimareschallus & Elector &c. &c. &c.  
Dominus & Nutritius noster Clementissimus,  
præcedente amplissimi Senatus Academici & Nobiliss. JCro-  
rum*



21  
rum Ordinis, qui hic est, probulevmate, non ita pridem in Excellentissimi ac Consultissimi quondam Viri, Domini MICHAELIS FRIDERICI LEDERERI, Jcti & Collegæ nostri desideratissimi, locum me succenturiavit & Institutionum Juris Professionem, quam vocant, mihi committi, clementissimè jusit. Quam gratiam uti submisso cultu veneror: ita decenter munus istud ingredi fas erit. Qua fini crastino die, DEO dante, Oratione quâdam solenni stationem istam mihi demandatam inaugurare, mecum constitui, sequenti Die Jovis deinceps ad prælectiones publicas ab horâ I. pomerid. in Auditorio Jctorum digressurus. Cui Panegyri ut Magnificus Academiæ Rector, cæteriç; Proceres ac Patres conscripti, nec non omnes literarii ordinis Æstimatores, ac Cives deniq; Academici frequentes adesse haud dedignentur, reverenter ac humanè oro rogoç; P. P. Dominicâ  
CANTATE A. 1675.






Wittenberg, Diss., 1674-75

X 241 8708


VD 17












1675

33 12  
1675 10

**GODOFREDUS Strauß**  
**PHIL. ET J.U.D. INSTITUT.**  
**PROF. PUBL. CURIÆ ELECTOR.**  
**SCABINATUS ET FACUL-**  
**TATIS JURIDICÆ**  
**ASSESSOR,**

*LECTURIS SALUTEM PLURIMAM*  
*DICIT!*



*WITTENBERGÆ,*  
*Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.*

